



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Provincia Romana

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68850](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68850)

PROVINCIA
ROMANA



ABVIT Prouincia Romana socios
quingentos septuaginta nouem. Ro-
ma, in Professorum Domo centum.
In Collegio, Sedeq. Tusculana cen-
tum nonaginta. In Domo Probatio-
nis octoginta. In Collegio Pœniten-
tiorum viginti. In Seminario viginti duos. In Col-
legio Germanico tredecim. Sex in Anglicano. In Ma-
ronitarum, duos. In Lauretano, Illyrico, & Montis
Sancti duodequinginta. In Florentino viginti
duos. In Recinetensi quattuordecim. In Maceraten-
si sedecim. Totidem in Senensi. In Tiburtino duode-
cim. In Perusino viginti. Mortui hoc biennio tres
& triginta. Admissi in Societatē octogintaquinque.

DOMVS. PROFESSA

Romana.

HINC autem apparebit, quam sim acturus
omnia ex præscripto: quod de Romana Profes-
sorum Domo, de principe illa sede atque arce nostræ
Societatis silere, de florentissimo Collegio pauca dice-
re constitui: non quod non superiorum annorum fa-
cta superauerint, aut certe aquauerint, sed quod ea,
tamquam v̄sitata, & licet non ponantur, ignota ne-
mini, sit satius prætermittere. Quid enim, si dicam

A adem

ad eam nostram concelebratam ab omni nobilitate, quamplurimis officiorum ac vitæ magistræ: Patres, qui in ea versantur, fuisse multis auxilio, consilio, solatio: si longum incipiam consitentium & communicantium ordinem texere, quod facillimum factu esset: nonne videar abundare otio, & iam nunc præceptorum oblitus, obtemperare magis velle, quam posse, intemperantia loquendi? Parcite igitur mihi Patres, nostræ Societatis columina, ac silentium meum imputate dignitati vestræ: nam & expromi de vobis non nisi eximia debent, quæ invidit hoc biennium: & præceptum, quod a vobis potissimum exijt, ut per se cognita, ex annalibus, & communia resercentur, firmari decet vestro exemplo. Ferent alij æquiore animo, quod vos libenti tulisse intelligent: & meum hoc factum vel defendetur, vel excusabitur: vestro defendetur consilio, meo excusabitur obsequio.

C O L L E G I V M . R O M A N V M

COLLEGIVM Romanum, si vniquam alias, discipulorum floret nobilitate & frequentia: ita per amplum licet Gymnasium præ confluentium multitudine angustum videtur. Et est cur honorum omnium auctori Deo gratiæ agantur, cum eorundem pietas elucescat magis & magis: quæ cū discendi cupiditate coniungunt. Fructus auditorū non exiguus. apparet in dies amplior: cum publice eius signū aliquod datur, quod est magnæ omnibus voluptati. Cardinales

dinales interdum, & qui varijs a Principibus sunt legati ad Pontificem Maximum (quod aptum per-
eque fuit ad docentes honestandos, & ad excitandos discipulos) sua presentia Gymnasium illustrare voluerunt: plerumque per speciem officij delibantes aliquid e scholis compluribus: non raro etiam in vna totam horam explentes. Quin & publicæ disputationes fere semper ab illis ornantur: sic, vt non semel tuentibus positiones duobus adolescentibus Romani Reguli filijs, quindecim interfuerint. Vnus posteriore anno cum in Philosophica palestra sui dedisset specimen ingenij, admirationi omnibus fuit, nondum sextumdecimum annu egressus. Qui ex vtraque Sodalitate Beata Virginis, alijs antecellit. Ceteru e nouemdecim, qui in nostram adsciti Societate, magna pars ex illis profecta. Excitati plerique vtroque anno honesta distributione premiorum. Auctum postremo Collegium bibliotheca magni illius Mureti, quam eius fratris filius, magna indole ac pietate adolescens, nobis nihil scientibus testamento reliquit.

DOMVS. PROBATIONIS

DE Nouitijs per biennium imbuendis, quod constitutum est nostris legibus, priore anno stricte obseruari ceptum. Ea causa fuit, cur non plures trigintaquinque reciperentur. posteriore igitur, quinquaginta. Et aliquorum constantia, aduersantibus necessarijs, vt fit plerumque, varijs probata experimentis. Neque enim defuere, qui subornatos suspicati sunt filios suos, partim etiam ad Principem do-

tulerūt. Sed quo eliminata magis veritas, eo magis in-
 claruit. Non est animus percurrere singulorū exem-
 pla: vnum seligam ex omnibus, cui cetera respon-
 deant. Adolescens annorum septemdecim e vicino
 oppido, Romæ commorans, dabat operam litteris, iam
 certus nostræ Societatis. cum hoc molitur, nescio
 quid afflans rumoris perstrinxit suspicacem animum
 patris. confestim ad urbem. seducit filium. conatur
 blandimētis primum, minis deinde eius animum in-
 fringere. adolescens, ne parentis sibi notam iracun-
 diam magis accenderet, meliore consilio abstruso, mi-
 tiora obtendit. nec propterea segnior patris cura. do-
 mum, vnde liberior exitus, diligenter obserari iu-
 bet. ignarus quid actū esset filius, sub noctem capta
 occasione furtim verso cardine domo erumpit. im-
 probus ianua strepitus patrem aduertit, festinantem
 assequi, vbi iam tempus abierat: commodum enim
 alacer adolescens, atate, timore, tenebris, adiuuanti-
 bus, Deo pandente viam fugæ, ad condiscipulos diuer-
 terat: apud quos delituit dies octo. Interea hoc nun-
 tio mater excita Romam aduenerat. ac forte tem-
 plum ingressa natum offendit. hinc lacrimarum im-
 ber, artiq. complexus. cum omnia ageret, & ob-
 firmato filio, ageret nihil, maiore quam decebat ira
 & dolore stimulata, tristificas voces profundit. cum
 luctus incenderet, euincebatur filius ad miseratio-
 nem: sed, vt erat sublimium appetens, aduersus humili-
 tia durās mentem, concitus aufugit, pallio in mulie-
 ris manu relicto. Vix hoc fecerat, cū materni recor-
 datione amoris cœpit mollescere. Ingrate (audiebat
 intus)

intus) agram parentem relinques? quæ te peperit, perdes? Hæc, atque talia, dæmonis arte peneirantia iam languescens animus minime prohibebat: cum conuerteret cū gressu oculos fere immutatus, cruentatam Christi tuetur imaginem. tum vero ad sese rediens. Igitur, permittes vt arefcens illa lacrimula æternum hunc sanguinem obruat, & mulier ex arce pectoris expellat Deum? Ignave, scelus est in hac re esse pium. hac cogitatione firmatus, institit fugam. hoc magis vociferari parentes, appellare, interpellare viros principes, ereptum sibi filium fremere. denique cum multam operam frustra consumpsissent, ipsius etiã Põtificis aures verberare. qui causam cum audisset, omne ipsius arbitrium Patri Nostro Generali permisit. is prius, qua est lenitate, satisfaciendum matri censet, paucorumq. dierum requiem ignoscendo dolori concedendam: dum victa muliebris infirmitas, vel ratione, vel tempore, dolere dediscat. ægre id adeo adolescenti, vt peruigili cura noctem extraxerit. Et quamquam longam post fluctuationem paratum se in vtrumque Patri Nostro ostendit, tamen aparebat e fronte, vtrum mallet. itaque apud nos manere situs, parentibus licet, qui conqueri non poterant, frustra indignatibus. Pys exercitationibus exculti viri aliquot nobiles, magnaq. opum affluentia potentes. Domus aucta annuo censu non leui, hortoq. contiguo veteris spatium excedente. vtrumque beneficio optimorum principum, quorum tantus erga nos amor, vt occasionem occuparint vltro de nobis benemerendi.

COLLEGIVM. POENITENTIA-
riorum.

FRUCTVS eorum, qui in hoc Collegio ver-
santur, tacite magis estimari a vobis, quam a
me inconsiderate poni in annalibus decet. Sanctum
est Pœnitentiæ mysterium, a qua nostri dicun-
tur: & veluti Regis sacramentum abscondere bo-
num est. nec in re alia vlla probatur æque silen-
tium, cuius vel leuiter violati etiam suspicio vi-
tanda. Itaque singulis prætermisissis, vniuersa percen-
sebo. Vnus vno anno audiuit cœnobarum presbyte-
rorumq. confessiones omnis antea etæ vitæ amplius
ducentas. alter, hominum de populo his plures, qua-
draginta. ex his duobus quid reliqui præstiterint, cum
sint in eodem opere, hoc biennio, conijcere potestis.
Vno item anno ab apostasia duodecim, ab hæresi se-
decim, ab adulterio septuaginta duo, a meretricum
consuetudine centum duodeuiginti, a turpi corporis
quæstu nouemdecim, a præpostera libidine reuocati
quingenta quinque. restitutiones factæ grauioris
momenti quinque & viginti. Alter annus audiuit
viditq. similia. Mira vnius conuersio. Vir erat, quod
amicis narrauit ipse, in magna scelerum conscientia.
aduenerat maturitas confessionis. cum is diem de die
differret, vidit tale somnium. Existimabat se esse in
æde, percepturumq. Eucharistiam cum duobus ad
sacram mensam accedere. admonuit alter præniæ cõ-
fessionis. adit sacerdotem, nec expectata absolutione,
discedit e templo: deliberanti pro foribus vtrum re-
grede-

grederetur, senex promissa barba, grauiq. oris dignitate, Nostin, inquit, illum? (eum ipsum indicabat) Ille ego sum respondit. excepit senex. at ego te quarebam, admoniturus nomine Beatorum Petri & Pauli, plerosque præterea calites nominabat, vt institutam confessionem absoluas. Hoc dormiēti somnium, vigilantī consilium fuit. Ex ijs, qui maleficiorum penas capite expenderunt, vnus fuit, qui Christianam religionem cum Iudæorum perfidia mutarat. agendus erat ad supplicium. eorum, qui suo ipsorum instituto venerant, vt ei in supremis adessent, verba auribus non admittebat. recordatus tamen se apud vnum e nostris aliquando confessionem peregisse, orauit accersi. res cecidit supra votū. repetita enim confessione omnium a pueritia peccatorum, ita resipuit, tam multas profudit lacrimas penitentiæ testes, ita efficaciter habuit concionem e patibulo ad circumfusam turbam Iudæorum (& conuenerant multi, iucundum de inuisi morte capeffentes oculis spectaculum) vt illum existimarint omnes ad eum locum, qui recte morientibus patet, sibi aditum aperuisse. Nostrorum etiam opera curatū, vt doctrinæ Christianæ præcepta aptis figuris in tabellis exposita (hi esse solent idiotarum libri) peruulgentur. Id reperiunt visum est ita vtile, vt dynastæ permulti in suas ditiones quamplurima transmiserint exemplaria: & præfectus vrbis, vicariusq. Pontificis mandarint, vt in cauponis omnibus & diuersorijis affigerentur. Res profecto, quæ plus habeat in recessu, quam prima fronte promittat.

S E M I N A R I V M . R O M A N V M

S E M I N A R I V M quo nunc est angustius, eo
 tum instituitur rectius, tum regitur facilius.
 Clerici quadraginta quinque, Conuictores quadra-
 ginta, vno minus: etsi locorum angustia multorum
 animos nobilium diuturna expectatione suspendunt.
 Summus Pontifex vnum e suis propinquis, quem ha-
 bet carissimum, summa spe iuuenem inibi educari,
 & apud nos edoceri iussit. Sex e numero horum ado-
 lescentium his duobus annis: clerici duo, cōuictores
 quattuor, in nostrum commilitium adscripti: duo ere-
 pti e rebus humanis: alter, filius fundatoris Collegij
 nostri Recinetensis, qui apud aequales affabilitatem,
 apud moderatores obseruantiam ne vultu quidem
 offendit: alter Marcus Antonius Muretus, cuius
 commemoratio nominis dupliciter mihi refricat
 animum: nam & ipsum adolescentem recordor, &
 cuius fuit cognominis, patrum eius. Sed de patruo
 dixi alias, & fortasse dicam: vt cognoscant omnes,
 me, cui multum debeo, eidem plurimum velle de-
 bere. iā enim de ipsius filio fratris, qui in Seminario
 est mortuus pridie nonas Octobres anno huius seculi
 octogesimo sexto. & certe mallet de hoc alius scri-
 psisset, ne mea debita erga illum beneuolentia, ve-
 ritati abroget fidem. sed tamen quod mihi pretium,
 si mentiar, cum facile possim coargui? Relictus est
 a patruo intra annum ætatis sextum decimum, im-
 becilla adolescens valetudine, sed pietate prorsus
 incredibili: quam ita ostendit apud nostros per men-
 ses

ses sedecim, quibus patruo fuit superstes, ut præ-
propera consilij maturitas prænuntiaret mortis ce-
leritatem. partem morum eius in speculo, idest in
testamento (non temere enim dixerunt antiqui te-
stamenta hominum esse speculum morum) intueri
poteritis. subiicietur particula. Multa aureorum
millia inopibus puellis in vrbe nationis Gallicanæ,
partim vt honesto iungantur matrimonio partim
vt in religiosarum familijs, humanarum curarum
solutæ, Deo liberius operetur. Et sunt hodie, eruntq,
in omne æuum, occupata videlicet pecunia ad per-
petuos census, Romæ ad Sanctæ Susanna in Quirina-
li, certæ moniales, quæ Mureti nomen ad posteros
numquam intermoritura memoria transmittent. Idē
in pios etiam aliquot cætus aspersit partem non exi-
guæ hereditatis. Mille reliquit aureorum summam
Domui Professæ: insignem patrui bibliothecam Col-
legio Romano. Nec vero Seminarij congregationem
Partheniã, in qua ipse vnus e sodalibus, mense ante,
magna cum laude orationem habuerat Latinam, suæ
beneficentiæ esse voluit expertem: legauit ad Crucis
imaginem e solido argento, itemq. par candelabrorū
eiusdem materiæ, aureos quingentos. eaque omnia
ita inscijs nobis, non tantum inconsultis, vt prius
audierimus quid fecerit, quam quid factururus esset, po-
tuerit aliquis suspicari. Iacobus Sabellus Cardinalis
propter admirabilem sapientiam vsuq. rerum
agendarum magna cõplexus, et maiora promeritus,
cuius mortem Romanum Seminarium luctu versuq.
celebrauit, vrbana vineam comparari iussit in mō-
te

te Palatino : vbi fessi iuuenes studijs , & pressi angustijs domus , opportuna quiete laxarentur. addita etiã Bacchanalibus priuata actiones fabularum , in quibus oblectatio fuit mirifica, plenissima vtilitatis. quod ipsum excitauit in adolescentibus discendi diligentiam: ea quanta fuerit, vel ex hoc coniectari potest: quod in Collegio Romano, ex omnibus scholis qui antistarent aequalibus , cum premijs publice honestarentur, eorum maior pars & melior Seminario obtigit : & non nemo inuentus est, qui in superioribus classibus palmam numero tertiam, e tribus scilicet certaminibus, eademq. primam ordine tulit.

GOLLEGIVM. GERM ANICVM

ALV M NI instar centum. magnam partem Theologiae vacant : etsi datum quoque specimen eloquentiae, vel in festo omnium Sanctorum, sollemni oratione ad Pontificem : vel idibus Decembris die Sancti Eustratii in templo Sancti Apollinaris : vel ad exequias clarissimi viri Ludouici Blanchetti, qui fuit magister cubiculi Gregorio Tertio decimo, in Vaticano eius sacello vere digno tanti Pontificis religione ac munificentia. Magnus omnium ardor ad pietatem et caritatem proximorum. Et extitit fructus in hominibus eiusdem gentis, quibus Roma commoratio, aut diuersorium. magna scientia Ecclesiastici ritus, quam tota pene vrbs admiratur & laudat. In Germaniam ex hoc Collegio profecti strenuam dant operam Catholicae religioni. Vnus ex eorum

rum numero Volfangus Theodoricus a Raithnau
Salsburgensis creatus Archiepiscopus: qui & can-
delabra sex argentea aureorum pretio quater centū
Collegio donauit. Ad hæc, vnus ex alumnis abiit e
vita. extrema eius exequar paucis, quoniam habue-
runt aliquid admirabile. Henricus ab Haiden cano-
nicus Treuerensis, pari morum elegancia & nobili-
tate adolescens, cum ab extrema pueritia septem
annos in Collegio egisset, instanter requisitus a suis,
reditum parabat in patriam: sed veram illi patriam
Deo destinante, incidit in febrem, quæ octauo die attu-
lit mortem: monitus a sacerdote de necessitate vlti-
ma (iam ante se generali confessione præmunierat)
ad Apostoli Andrea corpus, quod Malphi colitur,
pro valetudine peregrinationem vouet: certam dein
pecuniam ad Crucem argenteam ponendam in æde
Sancti Apollinaris, is est Collegij patronus: itemq. ad
pallium, quo altare operiretur Deiparæ Virginis, in
cuius erat Sodalitio, reliquit. His rebus ita dispositis,
eum somnus multis presentibus oppressit. post pau-
lo euigilans, accersito sacerdoti, qui erat ei a confes-
sionibus, O pater, pater, inquit, Quæ ego vidi? Quæ?
interrogat ille. Quæ nec oculis, nec auribus, sed nec
ullo sensu percipi possunt. Cum commouisset expecta-
tionem, & iungerentur omnium preces, subiecit in-
ter attonitum letumq. sed propior læto. Salus mea
fuit in angusto: at benignitas Mariæ Virginis, Sancto-
rumq. Andrea, Apollinaris, & martyrum nostrorū
tutelarium in tempore succurrit. a demone sum du-
ctus ad iudicem. magna vis (cum solus essem) cir-
cumstetit

cum stetit accusatorum, varia crimina obiectantium,
 iam iamq. exactor supplicij me pertraherat ad Gebē
 nam cum abesset prope nihil quin essem miserrimus,
 astitit misericordiae parens, & ad illos conuersa. Quo
 vos istum? aut quid vobis cum illo, qui tot annos mi-
 hi in mea congregatione seruiuit? Consecutus deinde
 Andreas, idem indignās, titulum obtendebat mei pa-
 trocinij quam voueram ad eius tumultum peregrina-
 tionem. Sanctus postremo Apollinaris cum ceteris
 martyribus, quorum sacrosanctae reliquiae sunt in ade-
 nostra, vim inhibuit aduersariorum, memorans Cru-
 cem, quam proxime mandauit faciendam: ita, quae Deo
 est gratia, periculo simul somnoq. solutus sum. Haec
 cum dixisset exultans, quarta fere post hora animam
 reddidit. Henrici mors me admonet vt aliquid scri-
 bam de immaturo decessu Patris Michaelis Laure-
 tani, qui cum primus hoc Collegium rexerit per an-
 nos quattuordecim, diuturnitate regiminis non extu-
 lit animum, non amisit apud eos, qui regebantur, ve-
 nerationem. quippe modestia & caritate illam pote-
 statem consecutus erat, quae est longe difficillima, vt
 obedire gauderent qui iuebantur. mortem obijt
 piam & sanctam, videlicet consentaneam vitae: tan-
 to alumnorum merore, vt eum cum capere non pos-
 sent, per questus effunderent. Tulere corpus cum
 lacrimis & laudibus, vestem patris manusq. exo-
 sculantes. & celebrarunt funus honoribus, si nostrā
 consuetudinē spectes, amplissimis: si eorū voluntatē,
 de qua detraxit non parum patrum modestia, modi-
 cis: si rem ipsam, talibus, vt agnosceres laudem grati
 animi

animi non ostentatione benevolentiae, nec ambitionis
vanitate quaesita. Manavit eius desiderium etiam in
Germaniam, quam iam dudum sui nominis fama ita
implebat, ut qui perfectam formam Germanici Re-
ctoris vellet describere, Michaelis Lauretani exem-
plo vteretur.

COLLEGIUM. ANGLICANVM

ARTATIS Collegij rebus, coarctatus
collegiarum numerus: ij summum sexaginta.
E quibus etsi priore anno decem, posteriore sex sacer-
dotes in expeditionem Anglicanam missi, multis
Christi Vicario additis, auxerunt Catholicorū cœtū,
duo etiam Caesitium, propter eam causam, morte
affecti, Christophorus Buxtonus, & Robertus Morto-
nus: utroque tamen anno duodenos, ad explendum
numerum, Rhemense submitit. Sincera iam inter om-
nes concordia: quamquam eam ad vitandam iacta-
dudum erant semina: quibus euulsis, omnium secu-
ritas, duorum poena (quos ut fucos arceri placuit
Pontifici) fuit. Cetera, de sacrorum mysteriorum
frequētia, pijs peregrinationibus, exercitationibusq.
de anniversaria oratione Vaticana, deq. sollemnibus
e Philosophia & Theologia disputationibus, quia
vulgata, omittantur: gaudium certe, quod perce-
ptum est ex Doctoris Gulielmi Alani accessione di-
gnitatis, prateriri non potest. Biennio ante venerat
e Gallia, ut de re Anglicana praesens ageret cum
Pontifice. diuersabatur in Collegio: ecce tibi septimo
Idus

Idus

Idus Augusti, anno octogesimo septimo, solus extra ordinem, nemine opinante, sed ne cogitante, quidem quia e lege, quam Pontifex tulerat, fieri non posse videbatur, omnibus tamen postea gaudentibus, & factum approbantibus, cooptatus est in Collegium Patrum purpuratorum. qui nouus honos moderato homini, summaq. virtute praedito, nihil attulit nouū, nisi vt maiore auctoritate prodesse pluribus posset. Ex ea vero re tum in praesens magnum accepit afflictā Anglia solatium, tum in posterum etiam certam spem solidæ gratulationis.

COLLEGIVM. MARONITARVM

DE MARONITARVM Collegij institutioni consilio, quoniam superioribus litteris perscriptum diligenter, nihil addendum videtur. ij sunt, si sacerdotem numeres, qui sacrum Chaldaice facit, omnino septemdecim. parvus ager, spe magnus, nec fructu sterilis. Gnarum id tum Pontifici, qui ad as alienum dissoluendum ducentos aureos dedit: tum Catholico Regi, qui in vino Neapoli exportando soluit eos rectigalibus. nam quid dicam de Antonio Carafa Cardinale, patrono eorum patreque amantiſſimo, spe ac subsidio totius nationis? qui vnus, iuxta Pontificem Maximum, hoc Collegiū inchoauit, auxit, nunc etiam longius prouexit: beneficio videlicet, e quo olim obuient annui reditus aureorum trecenum. Is promouet eorum studia, e quibus cum tres anno posteriore confecissent Philosophiae

loſophiæ curriculum, vnus poſitiones publice defendit. Is ſtudet conſeruandæ eorū valetudini, & ſi forte defecerit, recreandæ. Aegrotabat puer annorum vndecim, parendi virtute conſpicuus: tantaque apparebat vis morbi, vt mors inſtaret. iacebat tam alto ſepultus ſopore, vt eum nec vocis contentione quiſquam excitaret, nec admotis aculeis. & aperiebat interim, ſed eodem momento natantia lumina clauderentur: actum erat de illo, niſi vigilare iuſſus oculis apertis, animus obſequij tenax corpori vim faceret: ita dum palpebras ſuſtinet inuitas, vitam retinuit.

COLLEGIUM. LAURETANVM
& Maceratenſe.

EPISCOPALIS dignitas nūc primū Lauretum inueſta impoſuit noſtris (quorum opera vſus Episcopus Franciſcus Cantucius Peruſinus diuini cultus ſtudioſiſſimus) maius onus proximos adiuuandi. Priore quidem anno, cum hiems gelida & niuoſa inualidam plebem, vrbana in iuxta & pagana prohiberet opere victuq. eleemoſyna vtriſque quaſita. poſteriore autem alloquio & conſilio ciues adiuti clericiq. peſte graſſante: quæ ipſum etiam Episcopum cum ſuſtulſſet, noſtrorum quemquam nō attigit. Eſt anno ſuperiore obiit pater Nicolaus Adelinus Collegij Illyrici moderator: qui annorum paucitatem, quos degit in Societate (hi ſex tantum fuere) fructuum multitudi-
ne penſauit. Reliqua. que
hic

hic gesta, & in Illyrico, Montisq. Sancti Collegijs in
animis vel subleuandis mole peccatorum, vel adiu-
uandis dñ egrediuntur e corpore: itemq. in salute sola-
tioq. vincitorum in carcere, quoniam sunt vsu trita
relinquantur.

A N C O N A M missi sacerdotes duo: alter Epi-
scopo in lustranda diocesi, alter vrbī in imbuendis
rudibus doctrina Christiana, praesto fuit. eodem mis-
sus qui populū habendis concionibus ad Aduentum
Domini prepararet. auctum praeterea Collegium se-
nis cubiculis, & ambulatione.

M A C E R A T A E in duobus maxime scelerū dā-
natis, vltimoq. supplicio affectis, nostrorum pietas,
Deo fauēte, eluxit. alter enim, cui ignito forcipe mē-
bra erant vellicanda, detrectans pœnitentiam, ani-
ma parabat interitum. alter retractans crimina, quæ
patescerat in quæstione, obstinata mente simula-
bat innocentiam. vtrique eorum aures aperuit Deus:
ille enim bene preparatum pectus obtulit morti: hic
autem suis euolutus integumentis, quod scelus male
texerat, voluit omnibus audientibus confiteri.

RECINETENSE. COLLEGIVM

S V P E R I O R E Quadragesima Senatus a Pa-
tre Nostro Generali concionatorem obtinuit,
eundemq. mirifico applausu fructuq. audiuit. Discor-
diarum finiendarum arbiter constitutus Collegij Re-
ctor, magno multorum bono. Scholæ pleniores, quam
v̄mquā antea. Sodalitatis vtriusque magna pietatis
incre-

incrementa. ea maxime perspecta, cum altis niuibus prementibus terram gelu, paupertas fame laboraret. tunc enim sodales quadripartiti totam urbem perambulantes cum saccis vnum in locum quasi tam stipem congerebant, vt indigentibus tribueretur. eius rei fama late diffusa etiam Perusiam manauit, missiq. duo e sodalitate Perusina, qui eius nomine cum Recinetensi inirent societatem. Terni vtroque anno inter nostros admissi, aliqui inter alios ordines. Ceterum eminuit vir annorum sex & triginta: qui duodecim olim annos apud Turcas captiuus egit. Hunc Capuccini nolunt adsciscere nisi ad sacerdotium. itaque nunc illa etate, vt discat litteras, suppositus se nostris, & manum ferula: ita serio, vt cum magistro egerit sapius, vt haberetur numero puerorum, & cum eis peraque caderetur. vir magno orationis & mortificationis studio, tantaq. flagrans caritate in pauperes, quoru pater iam dicitur, vt cunctas curas ipsorum amore leuiore habeat, eosq. sibi tuendos suscepit vel cum periculo valetudinis. tantos preterea progressus in litteris fecit, vt iam capax sit sacerdotij. Instituta schola doctrinae Christianae mane diebus Dominicis, quo opifices confluunt, & rustici, tanto maiore cum vtilitate, quanto genus hominum imperitius. Excitatum conobium virginum ad religionis munia studiosius exequenda. exposuere omnes sacramento confessionis quid quaeque dolendum egisset in vita: priuatis opibus in commune collatis, quod antea neglexerant, Fine prioris anni pater Franciscus Orlandius, vir cum multis virtutibus

B excel-

excellens, tum maxime sui despicientia, concessit e vi-
 ta. nec desunt ex externis qui gloriam migrantis in
 cælum animæ se vidisse testentur. Concludam Recine-
 tum exemplo mulieris, quæ in morte filij constanti
 animo ferenda, virum supergressa videtur. Collegij
 huius fundator Paulum Leopardum filium mise-
 rat Romam, vt in Seminario a nobis institueretur.
 In studijs procefferat adolescens, nec mediocrem
 spem sui concitabat. desponsa ei interea domi puella
 nobilis cum dote amplissima viginti millium: eam al-
 tera tāta pecunia sequebatur lege hereditatis. vide-
 bantur munimenta familiae, si futurum prospiceres,
 praeclare constituta. hæc erant consilia mortaliū: hæc
 vota magnarum cogitationū: mors media interuenit,
 & turbauit omnia. ferendus erat nuntius ad miserā
 matrem. ne grauiore ictu prosterneretur, vel vt solato
 rem haberet magis presentem. suscepit hanc provin-
 ciam Rector Collegij. eum vbi vidit mulier, præ sagio
 malorum diuinavit quod erat. & quamquam dolore
 percussa, antequam quicquam audiret, precibus effu-
 sis ante Crucifixi imaginem, muliebrem animum fir-
 mat. surgit deinde, & accepto nuntio, nihil immuta-
 ta, iterum procumbit in genua, eo maiore afficiens vi-
 dentium oculos misericordia, quo animo fortior. Tū
 presso mærore, aut victo. Pater, inquit (referam enim
 ipsius verba) nihil ad aures poterat grauius accide-
 re: sed quoniam depositum suum reperijt Deus, ita me
 ad eius voluntatem conformo, vt si commodaret
 iterum, iterum eius voluntatem antelatura sim cupi-
 ditati meæ. Neque id ostentationi datum: postridie
 enim

enim cum tota familia gratijs Deo agendis commu-
nicauit in templo.

COLLEGIVM. FLORENTINVM

PRÆTER confessiones vniuersæ vitæ, quæ
vno anno fuerunt non pauciores centum, resti-
tutiones aeris alieni, & pacificationes plurimas, mul-
torumq. conuersionem ad penitentiam, hæc pauca
adijcienda. Opificum cœtus, qui diebus festis a pran-
dio de rebus pijs erudiuntur, institui cœptus magna
cum eorum vtilitate, nec minore frequentia. Vnus ne
semetipse exanimaret, quod iam facere parabat, de-
territus. Aethiopes quinque informati a nobis ad
baptismum. E nostris auditoribus, quinque varijs se
religionibus addixerunt. Quinque item mulieres, quæ
egestate coactæ, vnde ostendebatur vtilitas, illuc li-
bidinem transferebant, vt melius sibi consulerent in
tuto locatæ. Famosa meretrix se infamie exemit &
peccandi licentiæ: magnaq. pecunia in pios vsus ero-
gata (in his & puellam inopem alendam dotandâq.
curauit) cum honesto viro coniuncta. At mulier
quædam clarissimis natalibus, abundans diuitijs, &
pietate, vna ex ijs, quæ templum nostrum frequen-
tant, expleuit diem supremum. Hæc erat operibus mi-
sericordiæ maxime dedita, omnibus religiosorum fa-
milijs beneficio cognita: illum se diem perdidisse ra-
ta, quo nihil cuiquam prestitisset. si quem e mensa au-
disset emendicantem stipem, surgebat statim, suamq.
portionem ferens ad ianuam, communicabat & co-
mede-

medebat cum illo. culcitas suas omnes pauperibus tribuebat, paleam sibi, ubi cubaret substernens. cili-
cium interius semper habuit, duabusq. horis ante-
quam expiraret, clam omnibus domesticis ferream ca-
tenulam vni e nostris dedit, qua carnem iuxta erat
præcincta. Hæc scribenda videbantur de femina cui
mira semper cupido fuit Dei colendi. Facies interior
templi extructa toti ædificio conueniens. exterioris
formã Magnus Dux vidit probauitq. facta potesta-
te, vt e foro tantum spatium exciperetur, quantum
structuræ satis esset, addito breui grauiq. præconio or-
dinis nostri. quod ipsum non tam re fuit nostris gra-
tum, quam ut minueretur suspicio eius immutatæ vo-
luntatis. Auxit opinionem, quod sacrum nostrum ta-
bernaculum, insignis cuius pulchritudo celebri fa-
ma erat vulgata, ne materiam sermonibus præbe-
ret, e mentito habitu visere voluit. idẽ factum ab vxo-
re. Sed & Florentini inter cetera, quæ ostendunt hospi-
tibus, vnde vrbis elegantia æstimetur, templũ etiam
nostrum demonstrant. & vero est cum Apostolorum
omnium statuis, gypso cutem marmoris imitate, tum
etiam duabus tabulis pulcherrime pictis, illustre.

COLLEGIVM. SENENSE

CVM priore anno frumentum anguste obuenis-
set, penuria laborabatur in hac vrbe: sed nihil
tamen defuit nostris, eorumq. suasu subuentum mul-
tis qui premebantur fame: profectum vtrumque e li-
beralitate piorum, qui gustarunt de eleemosynæ sua-
uita-

uitate: itaque ea collecta vberior in concionibus, quã
ullo vnquam antea anno. Posteriore quidem, quo in
eade maxima concionabatur noster, etiam summis aesi-
bus nihil imminuta frequentia (audiebatur enim ab
omnibus libentissime, eoq. audito multa fiebãt) Cum
puellæ nuditas commendaretur, reperta est quæ pal-
lam superiorem sibi detraxit, vt inopi daret, annu-
liq. aurei in arculam quæstoriã coniecti. ad Colle-
gij certe necessitatem, quam auxit vinea muro cin-
genda, pariterq. ad ornatum templi collati sponte
aurei septingenti. quin etiam ciues aliquot nobiles
annuam pecuniam sunt inter se pacti daturus pro-
prio chirographo, nemine e nostris sciente. Non par-
ua hæc, sed hoc mirum magis. Collegium in sum-
ma erat annonæ caritate: pater rector modios fru-
menti duos videbat esse necessarios: deerat res, et cõ-
siliũ. hoc ipsum dum animo agit, vocatus ad ia-
nuam videt aliquot iumenta frumento onusta: donum
Senensis Archiepiscopi, qui Romæ morabatur: ea
res affirmavit diuinam prouidentiam. quamquam au-
tem res arctæ essent Collegij, tamen hereditas vna,
quam mulier testamento reliquerat, vt premeren-
tur rumores vulgi, magno animo repudiata. Terni
vtrouque anno, & plerique adolescentes summo ge-
nere in Societatem adscripti. etsi vnus ex eis firma-
ta vir etate & Iuris consultus, magnæ apud omnes
existimationis. Scholæ enim & iuuenum Acade-
mia, quæ olim neglecta, maxime celebrantur: nemq.
virorum Sodalitas, quæ sedem habet in Collegio sub
nomine sanctissimi Sacramenti. accessit conuentus sel-
lula.

lulariorum, qui diebus festis pariter in Collegio ad pietatem instruuntur. e discipulis cum mortuus esset adolescens vnus ingenti significatione pietatis, elatusq. tristi ministerio a sodalibus, magnos in admirabunda ciuitate animorum motus excitauit. Doctrinae Christianae utilitas in dies amplior & illustrior. Aethiops institutus a nostris, qui erat baptizandus. Monasteria multa adiuta concionibus, & confessionibus excipiendis. confessiones etiam singulis mensibus auditae in ergastulis. meretrices a turpi quaestu non paucae abductae. inuenta ratio, qua puellae diuitijs orbae & parentibus, quae pernoctabant in porticibus non sine periculo, in tuto essent, honesteq. alerentur. complures e corruptis moribus ad emendatiorem vitam traducti: sed hi duo admirabiliter. Vtebatur iuuenis opulentus & nobilis puellae consuetudine: persuasum est mulieri, vt absente iuvene, qui rusticabatur, patefaceret peccata confessione. quod fecit: simulq. constituit amplecti poenitentiam: eodem die redijt adolescens, eiusq. quam immutatam repente viderat, consilio adductus & exemplo, confessionem facit, itaq. vertit animum ad amorem caelestium, vt non solum illi data dote aperiret caenobium Conuersarum, quas vocant, sed eius quoque sororem conuerterit, quae gradiebatur per eadem vestigia. multi confirmati in supremo vite tempore, quo anima disceptat. Corcyrensis quidem Episcopus cum haud prope ab vrbe grauissime agrotaret, missis curiculo litteris ad praetorem nocte adulta, orauit vt ad se nostri mitterentur: missi magno cum fructu, solatioq.

latioq. morientis. Hoc etiam pertinet ad indicandā religionem Senensium. Iuuenis vnus ex ijs, qui sacra apud nos obeunt mysteria, publico fungebatur magistratu: cuius dignatio non ferebat vt incederet sine apparitoribus & pompa: ita, vt vitaret sermonem vulgi ad deteriora plerumque prompti, erat Sacramentorum frequentia prorsus abstinendum. Sed ingeniosus est amor Dei. Lineo amictu ac facie operata veniebat ignotus ad templum, vt nec veteri ciuium consuetudini, nec priuata pietati deesset. denique plus centum confessi de peccatis tota vita commissis. Multa paucis diximus, vt in transcurso. Sed eorum magna pars debetur concionatori: cuius quoque persuasum constitutum, vt prima hora noctis ad certum campanæ signum supplices ad Deum preces pro defunctis offerantur. Pientiam (hæc est vrbs proxima) missus sacerdos Quadragesima, pietate profuit ciuibus, & amore paupertatis: illam ostendit, diuinam legem explicando: hanc pecuniam, quæ illi de more tribuebatur vt ceteris concionatoribus, constanter recusando. Missi etiam aliquot iterum ac tertio Collem (nomen vicini oppidi) elisis stirpibus prauarum consuetudinum pluribus quæ caput tollebant, effecerunt vt oppidani magna sibi ad Christianæ vitæ statum subsidia pararent. Superest vt repetatur de pacificationibus aliquid iniurijsq. remisissis. nã & lites diremptæ difficiles tres aut quattuor: & qui graue acceperat vulnus, donauit offensam. nec defuit, qui vehementer latus, mentis æquitatem, qua ignoscebat inimico, ederet scripto, ut auferretur omnis suspi-

cio simulationis. Rixa inter adolescentes Germanos, qui huc cōueniunt causa disciplinarū, exarserat: timebatur, si glisceret, maximum incendium. Romæ unus e Cardinalibus cum Patre Nostro Generali agit, ut tam periculosi ignis restinguendi prouinciam nostri susciperent. idem hic orabat prætor urbanus. Tā prudens regentum consilium & studium hominum iussa facientium, Deus, quo auctore hæc fiunt, prospero euentu comprobauit. Inueterata inter fratres duos erant inimicitia. neutrum ulla spes placandi. ex satis dato & accepto tuti magis uiuebant, quam securi. alter cum morbo esset oppressus, de confessione cogitat. accersitur unus e nostris. hoc interprete frater ad fratrem ducitur, præuia placatione animorum. & tandem duodeuiginti annorū odium osculo finitum. Sed insignis in primis pietas uiri nobilissimi. Habebat filium spem senectutis, qui cum ferro interfectus fuisset, & caleret adhuc corpus sanguine, antequam conderetur sepulcro, non modo interfectori pepercit. sed ad prætorem ultro misit litteras, quibus se profitebatur non persequi filij cadem, quam recentem licet & molestam, Christi amore ex animo reiecisset.

COLLEGIUM. PERVSINVM

MAIOR quam pro templo frequētia: itaque de eo producendo cogitatum. & iam opus feruet. ornatum sacellum noua supellectili. auctum Collegium qua ad scholas (quæ nunc capaciores, quia uidelicet celebratiores) protenditur. additum non
nihil

nihil annuo vectigali. Praefectus urbis nostro in templo Eucharistiam persaepe ciuibus praebuit: nostris, praeter Sabbatharia eleemosynam non raro prandium misit. Episcopi pariter, qui idem & Cardinalis, prolixia erga nostros beneuolentia. venit ad ipsos aliquando repentino aduentu: sed oratio, qua eum rhetor noster in Collegium: & carmen, quo vnus e discipulis in gymnasium exceperere euntem, multa item genera versuum poetico ingenio elaborata tanto maiorem admirationem ei fecerunt, quanto minus tempus ad apparandum fuisse intellexit.

Externorum iuuenum, qui hic studiorum causa commorantur, creber ad nos, vt in pietate exerceantur, aduentus. Vtraque Dei matris congregatio in dies magis efflorescit. Minor quattuor peperit nostrae religioni, alijs plures. Maior, quibus viris constat, colligetur ex vnus exemplo. Ex eorum numero iuvisconsultus insignis vita fama, dederat amico mutuam pecuniam. cum differretur solutio, clementer repetebat: nec quicquam recipiebat: cunctante illo propter implacationem forte rei familiaris: egregius interea debitor cum desperaret reddere debitum, quod praegravabat, vt omni se molestia liberaret, constituit tollere creditorem. captato tempore incuriosum occupat, domum eius cum sica ingreditur. hac illum septies perfosum, velut mortuum relinquit. Sed is, quem Beata Virgo protegebat, vim ferri non sensit: penetrato ferrum vestimento, in cute haeserat, vna tantum plaga strinxerat de corpore. uocandus erat vulnerarius, noluit accersi, ne ea res,

si fieret palā, vulneratori obesset. seruum iubet pa-
 rare quæ curando vulnere erant opus. Sed cum res
 ipsa sua se mole prodidisset, nihil æque ægrum habuit
 eius animum, quam vt ne crimen deferretur ad iudi-
 cem, ac ne quid grauius homini accideret, a quo su-
 erat vulneratus. Erat ex ea schola, quæ orandum
 docet pro inimicis, & bonum pro malo reddendum.
 Ciuitas fere tota in eo, quod ad Christianum officium
 pertinet, nostris addicta. Quidam e prima nobilitate
 in capite acceperat ab inimico vulnus ita graue,
 vt pars cerebri defluerit. ad tres menses præterea
 vix duxit vitam. patrum rogatu pacem concessit.
 Simultas inter virum vxoremq. composita. odia
 complura restincta: quod non contemnendum in vr-
 be. propter vetus armorum studium tenaci inimici-
 tiarum, & in iuuenibus multis, quos super ætatem
 irarum æstus, & vltionis ardor accenderat. Inter-
 missa erat per aliquot annos explicatio doctrina
 Christiana: priore anno reuocata est: maiore negotio,
 quo difficilius repetuntur interrupta: sed maiore
 etiam letitia, quanto bona aliquandiu desiderata,
 magis quam assidue percepta, delectant. & allicien-
 dus quidem primo fuit puerilis vterque sexus splen-
 dore præmiorum. nunc amorem concinnauit consue-
 tudo: & parentum approbatio excitauit industriam
 filiorum. Eleemosynæ de nostrorum consilio multæ
 fiunt & magna. Quidam sororem, de qua durius
 suspicabatur, affecit vulneribus, quod eam diceret
 non modo extra noxam, sed etiam extra famam no-
 xæ se conseruare debuisse. hanc pia quadam mulier

a nostris admonita, curandam, alendam in cœnobio virginum, ibiq. si daret, adiuuandam dotis triente suscepit. Verum in hoc capite de eleemosyna illud silendum non est, ab illustri quodam iuvene, cum seculum desereretur, relictos fuisse aureos Collegio nostro supra septingentos: ut eorum parte altera ornaretur in templo sacellum: altera ad necessitates Collegij uterentur. cupiebat quidem ille dare se nobis, sed re non obtingente, dedit partem bonorum. Duorum etiam iuuenū pari generis claritudine notabilis conuersio. præferox unus ingenio, & insuetus rixis: hic plus decem aureorum millia cum dedisset pauperibus, secutus est Christum uocantem. alter fluens luxu mundiciaq. tanto fuit admirabilior, quanto se ad duriores uitam conuertit. Ad salutem porro animæ non solum uiuentes, sed morientes quoque e nostro portu profecti: siue ij naturali morte tollerentur, siue uiolenta. Huius rei unum specimen dabo. Vir erat in hac ciuitate gente magis spectabilis, quam uita: uis maleficiorum (neque enim semper felix improbitas) perduxit hominem ad luendum supplicium lege debitum: ceterum adiuuante Rectore Collegij, ita equo animo hoc iudicium tulit, ut generali confessione peracta, fluentibus lacrimis non tristitia indicibus, sed penitentia, dulciq. colloquio cum Crucifixi imagine, cuius uerba sunt quidam conati assequi scribendo, communis existimatio sit, eam illi mortem a Deo permissam, ut spe immortalitatis maiore moreretur. Sed hic me locus admonet, ut ponam aliquid de ijs, qui hoc biennio in hoc Collegio mortui. ij tres fuere.

pnus

unus ex administris rei domesticæ, quem, ut reliqua
 omittam, referunt, iter facientem nocte quadam cum
 in diuersoriolo impudica mulier & procax insidiare
 tur eius pudicitia, pernoctasse in oratione Dei, &
 peruigilasse usque ad lucem, ne amitteret thesau-
 rum, qui recuperari non potest. Docebat alter Gram-
 maticam haud multum uiginti annos egressus, sed uir-
 tute & prudentia iam morti maturus. Tertius pater
 Ioannes Nicolaus Denotarius, id enim illi cogno-
 men. De hoc, quoniam uir fuit spectatæ per plures an-
 nos in Societate integritatis, paulo plura dicentur. Is
 enim iã inde a Patre Nostro Ignatio, cui fuit egregie
 carus, regimen tenuit inter nostros. præfuit diu pro-
 uincia Romanæ in Collegium postremo Perusinum,
 quod rexerat aliquandiu antea, secessit: hanc enim fes-
 sã etati quasi sedem delegerat. Et præficiebatur qui-
 dem illi: uerum cogitans esse properandum, hoc unũ
 agebat, ut animum ueris succingens bonis, bonisq;
 præluces operibus, quandocumque uocatus esset, ex
 ante preparato celerrime sequeretur. aduersa iam
 pridem erat ualetudine, sed aut non intelligebat, aut
 contemnebat, simulans firmitudinem: dum tandem
 uicit morbus. Tota ciuitas simul agrotare uisa est.
 ita Cardinalis legatus, & qui vicem gerebat legati,
 & Episcopus, & magistratus, clerusq; omnis erant
 de vnus salute solliciti, omnesq; per medicos, qui agro-
 tum curabant amplius septem, aut etiam per nostros
 ualetudinis secreta, atque eius progressionem mo-
 mentis singulis rimabantur. primoribus enim tantum
 aditus patebat, ipse autem finem sibi instare præsen-
 tiens,

tiens, in lacrimas se effundit, pertasus vita, vt dicebat, tam negligenter exacta. Hinc generali confessione animum purgat, acceptaq. absolutione, præclara fiducia conscientia, an submissione animi, noluit esse sacerdotis in premendis quæ audierat, astrictam fidem. Me, inquit, libente fiet vt omnia mea peccata cuilibet detegatur. tum misit qui suo nomine indulgentiam ab Episcopo precarentur. Venit Episcopus, remotisq. arbitris fudit super eum suppliciter preces, hominiq. benedixit. Sacro deinde munitus viatico, oleoq. inunctus, cum ijs, qui erant in Collegio piaculares globulos cereasq. agni caelestis, aliasq. imagines singulis diuisisset, in hunc fere modum omnes alloquitur. Carissimi ingredior viam vniuersæ carnis, omnem meam spem in Dei misericordia repositam habens, vobis alter non deerit, qui meas tucatur partes, & si forte, culpas emendet. has mihi vos æquum est ignoscere, & ab immortalis Deo veniam impetrare. neque enim inanibus lacrimis, sed profuturis apud Deum precibus vestram probabitur erga me benevolentiam. cum quaererent, quid vellet eos meminisse, ecquid manderet exequi. Num illud, respondit, quod sæpe a me accepistis, pectoribus vestris relinquo, Studium obsequij, id enim mihi in hoc articulo temporis summam affert securitatem. Vix hæc præ assistentium fletu audita, paulo post intumescere lingua, & labi spiritus, igitur cum composuisset corpus, oculosq. defixisset in Christi effigiem, intercluso spiritu extinctus est ingenti luctu nostrorum, & incredibili dolore ciuitatis, quem, accurrens ad defuncti corpus, osculis & lacri-

mis implebat. Celebratum est funus iussu Episcopi a clero vniuerso: & nunc etiam omnibus grande desiderium mortui manet. quippe tanta erat caritate, vt communis pater ab omnibus diceretur. Perusina dioceseos oppida diebus quadraginta percurrerunt duo e nostris, obeuntes munia Societatis. reducta mulier ad amorem vitæ, cuius finem veneno saepe tentauerat. alij ab inferenda inimicis cæde depulsi. Doctrinæ Christianæ discendæ studium iniectum pueris, & docendæ parochis propositum exemplum.

COLLEGIVM. TIBVRTINVM

QUODAM die breuiore spatio post Solis occasum vnus e nostris cum in duos incidisset armis paratos atque animis vt quemdam interficerent, sensit quid agerent: composuit inter eos pacem, adeo a cædis consilio deterruit, etsi multorum etiam odia sopita. puella, quam mater in ætatis flore prostituerat, ad bonam frugem reducta.

Anno posteriore sextodecimo Kalendas Sextiles proxime ante diem festum Sanctæ Symphorosæ, quæ Tiburtina cum fuerit, antiquam illam suam patriam in tutela habet, ipsius reliquiæ Roma allatæ, caput Sancti Getulij eius viri, quod Tiburtinæ Episcopus nostri amantissimus ex peruetusta æde Sancti Petri nobis curauit, caput item vnum vndecim millium ex beatissimo Vrsulæ comitatu, sollemni pompa translata sunt in recens templum nostrum, peregregie edificatum, liberalitate Matthæi Contarelli Cardinalis,

CUI

cui Societas nostra plurimum debet. res fuit omnino
 visenda. obuius clerus in sacra veste: magistratus in-
 signi cultu, lucentibus cereis: coniugum & libero-
 rum agmina per sexum & etatem disposita: ornata
 urbis porta, qua pompa ducebatur: via omnes flori-
 bus strata: conuestiti parietes peripetasmatis: extru-
 cti, qua incederetur. sublimes arcus in speciem trium-
 phalium, in quorum fronte accommodata elogia ver-
 sibus disertis. Sacra portabantur reliquia fulgentes
 argento, patentes in ferculo, pio sacerdotum ministe-
 rio, sub velo carbasino, symphonicorum choris sua-
 vissime præcinentibus. etsi qui ferebant, interdum re-
 sistebant in via, non tam difficultate accliuittatis,
 populiq. frequentia, quam festo iuuenum occurso,
 qui multorum referentes personas, quibus antiquum
 Tibur gloriatur, sanctitate insignibus, e pegmatis
 Symphorosam concinno carmine salutabāt, et aduen-
 tum ciuis suæ gratulabantur. auxit hoc spectacu-
 lum celebritatem adis nostræ cum Sanctorum tu-
 telarium ueneratione. maior propterea sacra myste-
 ria obeuntium numerus, & ad doctrinam Christia-
 nam, quæ magnifico celebratur apparatu, magnaq.
 dignitate, concursus.

PER STRICTAE. BREVITER
 aliquæ Missiones.

CETERVM in hac Prouincia ad discreta, di-
 uersaq. loca per Quadragesimam, aut per alia
 etiam tempora missi hoc biennio proximorum salu-
 ti pro-

ti procuranda, multi. Priore anno Hadriam Conuersanumq (vrbes sunt in Appulia) posteriore, Lucam, Fabrianum vrbs illa florens in Tuscia, Fabrianum in Piceno: permulta item ad oppida, vt Columellam, ad Montem Fortinum, ad alia. quibus in locis omnibus, vt absolua breui, munera Societatis praesita, fructu laborem fallente. Secernam haec duo. In Fortino Mōte disputabat aliquando orator euangelicus de Christiana remissione offensarum: contendebat acriter, agebat vehementer. media oratione cum de more interquiescit, vnus ex auditoribus ante omnium ora oculosq. submissis ante altare genibus, maxima voce profitetur condonare se recentem filij caedem (nondum abierat annus) nec iniuriarum velle meminisse: quin & dato pacis pignore, homicidæ patrem, qui erat in templo, lacrimantem complectitur. Et tunc quidem omnes admiratores tam excellentis facti, postmodum etiam imitatores aliquot fuere. Fabriani autem doctrinae Christianae explicatio & modulatio vsque eo processit, vt nullus alius sermo non tantum cantus per eos dies in illo oppido tam frequenti audiretur. Interdiu templa, fora, porticus: noctu domus, officinae via diuinis canticis, ad quae adhibebatur symphonia cum musicis instrumentis, personabant. hoc erat studium omnium diebus negotiosis: festis spectaculum. has voces tertiabat infans, nondum integras reddens: hoc pueri emulabantur, hoc adulti, hoc inuidebant senes vtrisque, quod ipsorum aetas iam esset exacta, nec pueritia in hac tēpora incidisset. Institutum deinde doctrinae Sodalitium, ne rerum humanarum

more

more, cæpta in itijs valida, spatio languescerent. Idem fere de alijs oppidis dici potest. Parua hæc sunt, dicet aliquis: fateor: sed hæc parua maiores nostri, a quibus fuerunt tam magna, maximi fecerunt.

NEAPOLITANA PROVINCIA

VERSATI sunt in Neapolitana Prouincia locis septē, socij fere trecenti. Neapoli, In Professa Domo sexaginta quinque. In Collegio centum viginti quattuor. In Nolano, antequam Neapolim commigrarent Nouitij, vnus & quinquaginta. In Catacensi, Aletino, Bariensi, in singulis septeni deni. In Cirinolano septem. Minuerunt numerum vndecim. Auxerunt quadraginta quinque.

DOMVS. PROFESSA

SINGVLARI pietate & munificentia excellens Roberta Carafa Dux Matalunensium Collegij fundatrix partem etiam curarum in hanc Domum deriuauit. nam ex perpetuo reditu aureorum quinum millium, quem esse voluit proprium Collegij, ita res composuit, vt quaterna millia adificandæ Professorum Domui attribuantur: donec opus sit perfectum: in quo nunc laboratur. Templi etiam

C instru-